

H. Sax. C
789

H Y M E N A E V S

IN HONOREM NVPTIARVM
ILLVSTRISSIMI CELSISSIMI,
QVE PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CHRISTIANI II.

DVCIS SAXONIAE, SACRI RO-
MANI IMPERII ARCHIMARSCHAL-
LI ET ELECTORIS, LANDGRAVII THV-
ringiae, Marchionis Misniae, & Burg-
grauij Magdeburgensis,

Cum

ILLVSTRISSIMA ET CELSISSIMA

Principe ac Domina,

DN. HEDVIGI,

SERENISSIMI ATQVE POTEN-
tissimi Principis ac Domini, DN. FRIDERI-
CI II. Regis Daniae, Norvegiae, Vandalorum & Gotthorum,
Ducis Holsatiae, Slesvici, Stormariae & Ditmarsiae, Comitis in
Oldenburg & Delmenhorst, &c. pie defuncti, relicta filia, Dresdae
auspicato celebratarum prid. Id. Septemb. anno salutis M. DC. II.
debitae cum subiectionis tum gratulationis ergo
conscriptus

à

*M. Ioanne Lucio Dresdensi, Ecclesiae patriae
Diacono & P. C.*

Dresdae apud Matthaeum Stoeckelium.



PIA ET BREVIS PRE
CATIO.



Æquæua Propago CHRISTE Patri
Æterno, Paranymphe prime, primo
Qui vitæ sociam toriq; fidam
Adduxti nemore in sacro parenti,
Prælargáq; tua affatim recentes
Ornasti benedictione sponfos:
Miti propitióq; numine adduc
Romani Imperij inclytæ columnæ,
Magno magnanimóq; CHRISTIANO,
HEDVIGIM tenerámq; splendidámq;
Summa stirpe viraginem creatam,
Augustáq; nouos tua maritos
Vbertim benedictione dita:
Vt fausto coeant & auspicato,
Quam pridem pepigère, jure tedæ:
Vt sint vnanimés, sibi fideles,
Constantes in amore coniugali:
Et, postquam decies suum replebit
Orbem lumine Luna, CHRISTIANO
HEDVIGIS pariat perelegantem
HEDVIGIM, nitidúmue CHRISTIANVM:
Ac multis animæq; corporísq;
Fortunæq; bonis vterque abundant
In seculo simul hoc & in futuro.

A M E N.

M. I. L. D. P. C.

HYMENÆVS.



Armina scripta prius dum quæro & perlego, pauca
Ocij ab officij rebus modo nactus agendis (lum
Ponderibusq; sacri studij, desistere cogor
Incepto, tenuémq; repentè abrumpere telam.

Nanque Erato, auriculam vellens mihi, talibus inquit:
Hæc se pone parùm vetera, & noua festaq; mundis
Carmina nunc manda folijs, eaq; ocyus offer
Teutonis *AVGVSTI* vegeto primóq; Nepoti,
Cui prædulce datum est *CHRISTI* de nomine nomen.
Ille haud immeritò mensem meliore lapillo
Hunc numerat, ter amans, arisq; imponit honorem
Legitimum, triplici votorum sorte triumphans.
Hic illum mensis vacuas emisit in auras:
Hic illi mensis tribuit moderamina rerum:
Hic illi mensis socium jam tradit amorem,
Quo sine nulla potest hominum consistere vita.
Digerit ista Deus, justa qui singula lege
Digerit, & casu non fert mortalia ferri.

Carminibus Princeps nostris dignissimus ille est,
Quem regio, quem Cæsar amat, Duxq; ætheris alti.
Nam Dominum venerans, nulli & pietate secundus,
Pura nunc olim Christum de Virgine natum
Pura mente colit, lucisq; & vocis amator
Diuinæ vigili cœlestia percipit aure
Dicta, sacro exosus pignantia dogmata verbo,

A 2

Sincerósq;

Sincerosq; viros & honestas protegit artes.
Viribus ingenij firmis, viuóq; vigore
Mentis inexhaustæ præstat, magnúmque decoris
Moribus ac virtute genus mirè ornat & auget.
Pectus habet niue candidius, quam nemo solorum
Obtrinit callo, neque soluit aquaticus Auster.
Eius & est sine labe fides, sine crimine vita,
Quam studet ad Verbi diuini effingere normam.
Aequi ac justiciæ est cultor, veniaq; paratus,
Et placidus facilisq;, & valde ad præmia velox
Danda viris Clario addictis, Martémq; secutis:
Sed piger ad pœnas, meritas cui sumere pœnas
Pœna sua est plerunque, vbi cogitur esse seuerus,
Eulmináq; in prauos inuita spargere dextra.
Hic idem Princeps, sidus, laus, gloria gentis
Maxima Saxonica, Danorum sanguine cretam
HEDVIGIM, auspicio superùm DOMINIq; fauore,
Consortem jam nunc thalami tedæq; jugalis
Accipit, exultánsq; petit dulces hymeneos.

Regia progenies. Virgo illa atque inclyta nympha est:
Nympha est non impar illis, antiqua sacrorum
Carmina quas vatum conuexa ad sidera tollunt:
Nympha est digna illis, quos aurea condidit ætas,
Principibus natis: dignissima Principe nympha est,
Virginei exemplar, numen, fax, famáq; cætus.
Quis satis extollet delecto hanc corpore nympham,
Cum sit formosis formosior omnibus vna?

Nam

Nam quid commemorem verbis tibi & ordine dicam:
Illius auricomum caput, electrorumq; capillos
Consimiles, frontem teneram, purorq;, decenti
Quos more in Sponsum letantem figit, ocellos,
Purpureasq; genas, rubrum os, & blanda labella,
Ac dentes lacti similes, ut eburq; politum
Candentes, roseum vultum, faciemq; decoram,
Collum albens, mollémq; sinum, niveorq; lacertos,
Artificesq; manus, digitos teretesq;, pedesq;
Ambrosios? toto non vllum in corpore crimen
Insidet, ac nihil est, liuor quod carpere possit.
Si quondam Alcides, Patareusq;, Pelopsq;, Philetasq;,
Aemoniusq; heros hanc ipsam lumine nympham
Spectassent, nihil Aetolis, Peneia Daphne,
Atracis, & Battis Coa, & Phylaceia coniunx,
Pectoribus nihil illorum inspirasset amoris.
Talis enim est, olim qualem depinxit Apelles
Idaliam in tabula Venerem. Natura decoris
Quicquid habet minimè fucati, Gratia triplex
Quicquid habet lepidi, hanc ipso cumulauit abunde.
Utq; fouet tacitas pellucidus vnio vires
Intus, Hydaspæis quem repperit institor vndis:
Sic fouet eximias generoso in pectore dotes,
Et gerit illustrem hæc speciem intus regia virgo.
Nanque est supremi cultrix operosa Parentis,
Ac cælestis amat præcepta salubria verbi.
Insigni multum excellit probitate, sagacis

A 3.

Fœcunda

*Fœcunda ingenij Vena, virtute serena,
Et suavi morum grauitate, fidēq; tenaci.
Quinetiam magnos docta est sufferre labores,
Promptāq; pauperibus larga succurrere dextrā
Vno summatim complectar vt omnia verbo,
ANNÆ hæc ipsa suæ nympha agnatæ æmula fiet,
ANNÆ, illibato thalami quæ fœdere quondam
AVGVSTO iuncta est, firmæ stabilisq; columnæ
AVGVSTO Imperij sacri, patriæq; parenti.
Nanque, pudiciciæ seruans decus, improba pellet
Scorta procul mæchāsque, vagæ mala magna iuuentæ.
Ac pectus gestans humile erga hominēsque, Deūmq;
Immodicum tollet cultum, qui calcat honestum,
Et populatur opes, iram accenditq; Tonantis.
Frugalem & vitam traducens corrigit istos,
Qui nimio marcent luxu, & quis prodiga palma est.
Quantò lucidius quàm cætera sidera splendet
Lucifer, è cunctis vnum quem diligit astris
Nata freto, & quantò quàm Lucifer ignea Phæbe:
Omnibus hæc tantò præstantior ipsa virago est
Virginibus reliquis, quas Cimbrica nutriit ora,
Flos pompæ comitūmq; decus præsigne suarum.
Crede mihi, virgo tali quæ prædita dote est,
Omnibus & gemmis fuluo & preciosior auro est.
Nunc itaque Ensifera cum Sponsa adeò inçlyta Diuūm
Munere contingat, pauca hæc agè concine Sponso,
Qui prius haud paruo cumulauit munere carmen.*

Connubio

Connubio Deus ipse fauet, pia fidâq; conjunx
Vnde venit, solus vitæq; toriq; marito
Qui sociam attribuit, quiq; vna viuere binos
Carne iubet, patulo quò conseruetur in orbe
Progenies hominum, Natiq; Ecclesia crescat.
Humanaeq; nihil potis est obtingere vitæ
Dulcius, optata quàm coniuge posse potiri.
Ah valeat, vitæ qui mauult cælibis annos!
Ah pereat, muliebri genus qui spernit & odit,
Iurâq; legitimi prohibet castissima lecti!
Istum humana parens nequaquam in luminis oras
Protulit, humani neque lactis flumine pauit:
Sed fera Tisiphone, aut Alecto, aut dira Megæra
Enixa est, siccandâq; præbuit vbera Erinnyis.

Hæc Erato: ast Eratûs præcepta faceffere, Sponsis
Ac perpauca nouis præcisè hæc dicere, fas est.
Cum plerique ergo mittant sua dona, micantes
Hic gemmas aurumue nitens, pateram ille capaceam,
Vel Serum lænas, veteris vel vasa Corinthis,
Ut lætæ liquidò testentur gaudia mentis,
Gratenturq; nouis socialia sacra Maritis:
Ipse quid apportem, cui talia munera non sunt?
Magnos magna decent, dant dona ingentia dites:
Parua decent paruos, dant carmina tenuia Vates.
Paruum equidem carmen mitto, sed carmine paruo
Magna precor, gratâsq; nouis bona plurima tedis
Exopto: auspicijs vt eant hæc festa secundis:

Marori

Mœror vt à thalamo liuorq; & rixa recedant:
 Pax vt amor, pax firma, fides sincera, lepores
 Faceti, dulcésq; joci, & jucunda jugalis
 Gaudia sint lecti: successuq; omnia fausto
 Consilia & facta vsque fluant, & maxima vitæ
 Commoda tranquilla eueniant: vt sospite sospes
 Cumæos viuant cum Sponsa Sponsus in annos,
 Illustrémq; domum specioso infante quotannis
 Amplificent, tandémq;, omni sine labe, peracto
 Presenti hoc æuo, cœli intrent florida tempe.
 O verè faustos! ô tēq; quaterq; beatos,
 Legitimi irresoluta tori quos vincula stringunt,
 Quorum nulla vnquam turbat querimonia fœdus,
 Quorum & amor lucem non rumpitur ante supremam,
 Quiq;, sua cum prole, huius post tempora vitæ
 Ardua stellantis scandunt penetralia Olympi.
 At velut ardentes radios Hyperione nati
 Hinc atque hinc volitans nubes intercipit atra:
 Utq; micans densis scintillula parua tenebris
 Rumpitur extemplò: variis sic sæpe procellis
 Maxima presentis turbantur gaudia vitæ.
 Sola illa æthereo cœli super axe futura
 Læticia electi cœtus turbæq; beata,
 Plena erit ac perfectæ, erit integra puraq;, constans
 Et stabilis, firma & rata, perpetua atque perennis,
 Nec quicquam aduersi vel amari sentiet vnquam.





ibit atr



175

[Blank white label]